UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

Cap. I. Ratio & Oeconomia hujus libri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

Visual Library

piatus eſt, verùm, ut ad cæterorum exemplum, id divinæ in ſe genus vindictæ literis mandaretur, ſacrum conſcientiæ ſuæ Judicem, magnopere obteſtatus.

LIBER V.

De beneficiis divinis, apud Lindam Marianam, Anno MDCLV. vel exhibitis, vel cognitis, & in commentarium relatis.

CAPUT I.

Ratio, & Oeconomia hujus libri.

QUod S. Ildephonſus, eximius ille, & non calculo duntaxat, verùm & veſte candidâ è cælo miſsâ, probatus Deiparæ encomiaſtes cenſuit, reipsâ nos quoque omnium minimi experimur: nimirum Laudis, vel, ut ille loquitur, *Defenſionis Deiparæ, ſatietatem nullam eſſe* (a) *Hæc enim* (ut, quod ſanctus Chryſoſtomus ad cap. 1. Geneſ. hom 3. de S. Scriptura dixit, de B. Virginis beneficiis dicamus) *ſpiritualium fontium natura eſt, ut hoc magis ſcaturiant, & accreſcant ſpiritales gratiæ, quo quis magis ſtudet inde haurire.* Quin imò,

(a) *lib. de Virginit. B. M.*

imò, ſi fides non abrogatur alteri, ut ſic dicam, Ildephonſo, hoc eſt, Richardo à ſancto Laurentio, vero S. Ildephonſi in prædicanda Virgine Deipara collegæ (a) *Talis inveſtigatio* (qualem videlicet Eccleſiaſticus proponit dicens (b) *Vadens poſt illam quaſi inveſtigator, & in viis illius conſiſtens*) *quaſi quidam paſtus eſt animæ: unde ipſa* (videlicet Deipara, de qua agit) *Qui edunt me, adhuc eſurient. Quaſi in ore cordis habet hæc, qui firmiter credit, quaſi maſticat, qui piè inveſtigat; quaſi trajicit in corporis nutrimentum, qui bene operando, imitatur, & qui rectè afficitur erga ipſam.* Propoſitos initiò quatuor libros dum molimur, hoc eſt, dum in illorum Sapientiæ divinæ (quæ per Matrem ſuam & ad nos deſcendit initiò, & nunc mira inter nos operatur) inveſtigatione viarum immoramur, & oblato nobis paſtu reficimur, verum quoque ex parte in nobis fuit illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Tantum enim abeſt, ut aliqua nos laboris ſatietas caperet, ut, quod alibi diximus (c) quintus hic liber nobis ſub manibus naſceretur. Ut enim iis, qui mare ingreſſi ſunt, evenit, ſive navi ſive etjam pedibus aquas pertentent, plus ſemper aquarum inveniunt, quo magis à litore recedunt; ita profectò nobis quoque evenit. Magnum eſt MARIA mare; magna aquarum huius maris tum vaſtitas, tũ altitudo. MARIA, inquit, præclarè Dionyſius Car-

(a) *lib. 2. partic. 5.* (b) *Eccl. 14.* (c) *lib. 1. cap. 1.*

Carthuſianus (*a*) *interpretatur Mare: quia ſicut nullus valet guttas Maris dinumerare, ſic miſericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamq́ʒ* MARIÆ *nullus valet exprimere.* Et S. Petrus Chryſologus alludens, more ſuo, ſubtiliter ad illud Geneſeos I. *Congregationes aquarum appellavit Maria:* MARIA, inquit (*b*) *Mare vocabatur. Et quomodo non* MARIA *Mare? Congregationes, inquit, aquarum appellavit Maria. Nomen hoc renaſcentibus ſalutare; hoc virginitatis inſigne; hoc pudicitiæ decus; hoc Collegium ſanctitatis.* Et ne quis in ipſa ſyllabarum quantitate (producitur enim media in nomine MARIÆ, cum in congregationibus aquarum corripiatur) ceſpitandi locus relinquatur, piè juxta atque argutè Richardus à S. Laurentio (*c*) occurrit, atque cauſam ita reddit. *Idcirco huius nominis* MARIA, *media longa eſt, ut in eius nominatione diutius immoremur.* Qui etiam in rem præſentem alio loco (*d*) ita eleganter diſſerit. *Sicut nec Maris profunditas, ſic nec* MARIÆ *liberalitas poteſt exhauriri. Indefeſsè enim, & ſufficienter dat gratiam univerſis (niſi per eos ſteterit) quam facillimè invenit apud* DEUM. Quæ quidem inexhauſta prorſum, etiam apud Lindam Marianam MARIÆ liberalitas, hunc nobis librum quintum peperit. Poſteaquam enim illuſtriſſimus Epiſcopus Varmienſis, Encyclicis literis, quas alio loco produximus, Archipresbyteris, cæteriſque de clero edixit, ut miracula ac beneficia Deiparæ Lindenſis vel ipſi colligerent, vel populum ſuum ad ea colligenda enarrandaque exci-

(a) *lib. 3. de laudibus Virg.* (b) *ſerm. 146.* (c) *lib. 12. de laud. Virg.* (d) *lib. 4. cap. 6.*

excitarent; tam multa, quæ vel hoc, vel ſuperioribus annis evenerunt, enarrata collectaqúe ſunt, ut volumen integrum requirerent. Quanquam, ut fortaſſe referri ad priores libros potuiſſent, etjam multis de cauſis expediebat, ſeparato ea libro prodi. Præterquam enim, quòd multitudine magnitudineqúe ſuâ, quartum præcipuè librum, jam cæteris vaſtiorem, plurimũ auxiſſent, intererat lectoris, ut ad levandum ejus faſtidium, nova hic tractandi methodus adhiberetur. Sicut enim hactenus, beneficia Deiparæ in certas claſſes, juxta cujusque generis materiam digeſſimus, Czeſtochovienſem, VVartenſem, aliasqúe Virginis hiſtorias ſecuti; ita deinceps Hallenſem, Aſpricollenſem, Cellenſem, Silvaducenſem, atque in primis Lauretanam, ſecuturi, temporis duntaxat ordinem rationemqúe habebimus; & res ut, quæqúe vel evenit, vel certè ad noſtram devenit notitiam, proponemus, ſolâ temporis per menſes ſuos partitione adhibitâ. Ad hæc omnino videbatur expedire ea, quæ hoc MDCLV. Anno vel geſta, vel cognita, atque in commentarium relata ſunt, ſingulari volumine tradi, ut ex hujus anni, vel potius aliquot duntaxat menſium anni (potiſſimum enim Majus, Iunius, Iulius, & Auguſtus ſibi librum hunc vendicabunt) proventu atque ubertate, de cæterorum retro actorum ubertate annorum, judicium fieri queat. Si enim par fortaſſe aut in inveſtigando, aut in ſcribendo notandoqúe adhibita fuiſſet diligentia, par fortaſſe collecta fuiſſet Marianæ beneficentiæ, ac divinorum apud Lindam beneficiorum meſſis. Vt porrò major fuerit hoc anno in

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

connotando inveſtigandoqúe diligentia ſtudiumq;
adhibitũ, non tamen omnia, aut cognoſci, aut etjam,
quæ cognita ſunt, referri in commentarium potue-
runt. Nam & pudor quidam ſubruſticus, adhuc quoſ-
dam deterruit; ne vel divina prodendo beneficia, ſu-
as proderent calamitates; vel etjam nominum ſuorũ
viderentur quærere in publica hiſtoriæ luce celebri-
taté. Quid, quod ipſæ temporis anguſtiæ impediunt
tum populos, pietati Sacramentorumqúe frequenta-
tioni maximè intentos, ſuis rebus commemorandis
immorari tum ipſos ſacerdotes, miniſteriis tot, non
dico hominum ſed populorum gentiumq; accuratè
intentos, ſingula attentiùs exquirere, ne dicá rimari?
Quid deniq; quod cùm permulta & inveſtigata, &
cognita fuerunt, pleraq; tamen connotari haud potu-
erint; ſive quòd homines, qui connotanda ſuo debe-
bant loco ſuggerere, temporum excluſi anguſtiis,
vel etjam comitum ſuorum querimoniis adacti ma-
luerant relegendo ſe itineri, quàm renarrandis ſuis
ſuorumqúe rebus accingere; ſive etjam, quod ii, qui
connotare debuerant, memoriâ tot inter hominum
rerumqúe tumultus facilè fallente, non poterant? I-
pſe ego, qui hujus anni æſtatem apud Lindam tradu-
xi, & non minimam connotandis rebus operá inten-
di, fateri nihilominus neceſſe habeo, non pauca mihi,
quæ ſignanda erant, excidiſſe, multo verò plura, quæ
mihi iteratò fuerant à variis enuntianda, ſilentio
quacunq tandem ex cauſa, ab iis fuiſſe præterita. Ad
extremum, illud hoc loco neceſſario videtur com-
memorandum, multa hoc libro tradi, quæ hoc anno
geſta non ſunt; quia tamen hoc anno indicata, cogni-
ta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ta, atque conſignata ſunt, jure ad eum pertinebunt. Nam, ut bene Antonius Balingem ante ſuos de B. Virgine Ephemerides (a) monuit; *Licèt dies duntaxat, quo miraculum innotuit, ſignetur, nihilominus hic ille ipſe dies poteſt is dici, quo miraculum accidit. Quod quidem, non quolibet levi argumento firmari poteſt, ſed ex ſacrarum literarum uſu petito, quibus id familiare eſt, ut tunc aliquid enuntient fieri, cùm factum eſſe demonſtratur, aut cognoſcitur. Vt Geneſ. 12. ait* DEUS *ad Abraham: Nunc cognovi, quòd timeas* DEUM: *id eſt, cognoſcere feci, ſeu manifeſtavi. Vt interim ſileam, longè ampliorem Deiparæ provenire honorē ex mirabilium eius promulgatione, quàm ex ipſo opere mirabili, ſi lateat, nec ad mortalium aures perveniat. Imò ideo à Numine* DEI *Genitricis interventu patrantur opera iſta, ſupra omnem naturæ facultatem; non quidem ut ſub modio deliteſcant, verùm ut ſparſa in auras & omnibus explorata, maiorem ei venerationem concilient.*

CAPVT II.

Anni MDCLV. menſis Martius.

NOnnos annum cum Romulo priſcisq; Romanis ſed geſtas hujus anni res, à Martio ordimur. Et ordimur, non à Cal vel Non. vel Idibus Martii: quia apud Lindam Marianam, neque Matronalia Calend. neq; Vejovis ſacra Nonas, neq; ad extremū aut Parricidiū Cæſaris, aut Annæ Perennæ feſtum Id. occupant. Quinquatria potius, quæ in quintum ab Id. diē, hoc

 eſt in

(a) *Ad lectorem num. 12. & 13.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN